



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Ex sententia Alexand. Bonauent. & aliorum, omnem voluntatem
beneplaciti impleri. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

sunt, in seipsis autem sunt in particulari. Vnde simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Vnde potest dici, quod iudex iustus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum viuere, scilicet in quantum est homo. Vnde magis potest dici vellicitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quicquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud quod antecederet vult non fiat.

Ad secundum dicendum, quod actus cognoscitiue virtutis est secundum quod cognitum est in cognoscente: actus autem virtutis appetitiue est ordinatus ad res secundum quod in seipsis sunt. Quicquid autem potest habere rationem entis & veri, totum est virtualiter in Deo, sed non totum existit in rebus creatis. Et ideo Deus cognoscit omne verum, non tamen vult omne bonum, nisi in quantum vult se, in quo virtualiter omne bonum existit.

Ad tertium dicendum, quod causa prima tunc potest impediri a suo effectu per defectum cause secundae quando non est vniuersaliter prima sub se omnes causas comprehendens: quia sic effectus nullo modo posset suum ordinem euadere. Et sic est de voluntate Dei, ut dictum est.

Conclusio articuli est *Voluntas Dei semper impletur*, probat S. Thom. ex illo Plal. 113. *Omnia, quaecumque voluit, fecit in celo. & in terra: & Sap. 12. Subest illi, cum volueris, posse.* Omnia vero ratione S. Thom. est alia manifesta: nam voluntas Dei est omnipotens, & ipse per voluntatem operatur, ergo non potest ab aliquo impediri, quo minus effectum consequatur. Circa textum S. Thomae nihil est notatione dignum; difficultates vero, quae circa doctrinam illius sunt, sequentibusputatione examinabimus.

DISPVTATIO LXXXIII.

An sit aliqua voluntas beneplaciti in Deo, quae non semper impleatur.

Ex sententia Alex. Bonauent. & aliorum, omnem voluntatem beneplaciti impleri. cap. 1.

Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem, & ream omnium hominum vitam, verior opinio fert. cap. 2.

Cur haec voluntas dicatur antecedens. cap. 3.

Quo pacto voluntas, quam Deus de salute hominum antecedentem habet, absoluta sit, & nihilominus non semper impleatur. cap. 4.

Diluntur argumenta prioris sententiae. cap. 5.

Vsq; in l. p. Tom. I.

CAPVT I.

Ex sententia Alex. Bonauent. & aliorum omnem voluntatem beneplaciti impleri.

Antequam disputatione aggrediamur, praemittenda est distinctio voluntatis Dei, quam constituit S. Thom. artic. 11. huius quaestionis videlicet voluntas alia est signi, alia beneplaciti. Signi dicitur, quando Deus exterius ira se gerit circa rem aliquam, ut indicet se habere voluntatem illius rei, cum tamen reuera eam non habet. Exemplum est in omnibus Prophetiis, quae solam continent comminationem poenae, quae Prophetarum significare videbantur, Deum poenam statuisse, cum tamen reuera ea voluntas in Deo non fuerit. In exemplum etiam afferri solet praecceptum, quod Deus posuit Abrahamo immolandi filium suum, cum tantum vellet occasionem praebere obedientiae, non autem immolationem Isaac. In quo quidem exemplo, & similibus, ubi aliquid ex parte Dei iubetur, per modum praeccepti, & postea ipse prohibet fieri, est quidem voluntas quaedam simplicis complacentiae circa rem illam. Deo namque placebat secundum se immolatio Isaac ex obedientia, cum esset opus virtutis, & praeccepti, & ex hac parte non est sola voluntas signi, sed quia id, quod exterius apparebat, indicare videbatur Abrahamo deum velle sacrificium illud absolute praecipere, & praecceptum non reuocare; ex hac parte erat voluntas signi, & non beneplaciti: id enim nunquam decreuerat Deus imo oppositum volebat. Voluntas autem beneplaciti est, quando non tantum est signum talis voluntatis, sed etiam res ipsa, cuius dicitur in Deo esse voluntas, ipsi placet. Talis est voluntas eorum, quae a Deo fiunt. Illa enim eo ipso non possunt non Deo placere, ut fiant: sed de hac distinctione latius in eo articulo.

In praesenti vero controuersia duae sunt oppositae sententiae. Prior est *Alexand. 1. p. q. 46. m. 2. Bonauent. in 1. d. 46. artic. 1. q. 1. Scoti q. unica ad 1. Maioris q. unica. Marfil in 1. q. 45. art. 1. Dried. de concord. lib. arbit. & praedest. 1. p. cap. 4. ad 2. & Caietan. in illud Pauli 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, &c. qui asserunt in Deo non esse voluntatem beneplaciti, quae proxime referatur ad saluationem omnium, & ad obseruationem praecceptorum in omnibus hominibus, ita ut haec secundum se re ipsa sint volita a deo, sed voluntatem Dei proxime terminari ad media tantum, quae Deus tribuit omnibus hominibus, quibus saluari possint, & ad praeccepta, quae eisdem tradit, ut bene operentur: quare dicunt utramque voluntatem relictam ad obseruationem praecceptorum, & ad saluationem hominum, tantum esse signi: quia praebendo media absolute, & praeccepta, quae obseruare iubet, indicare videtur Deus, se habere voluntatem beneplaciti circa omnium salutem, & circa praecceptorum obseruationem, cum tamen eam non habeat.*

Huius sententiae fauet Augustinus eo quod testimonium Pauli 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, nusquam explicat de voluntate beneplaciti, quae reuera in Deo sit circa salutem omnium hominum: sed tribus alijs modis, quibus plane eam voluntatem beneplaciti circa omnium salutem negat. Prima expositio est, quam

Voluntas signi, & nepl. citi, quid.

Alexand. Bonauent. Maior. Marfil. Dried. Caietan. Quorundam sententia. propositus.

Confirmatur ex August. 1. ad Tim.

tradit in Enchiridio c. 103. ut sit distributio, quālogici vocat accommodam, ac si diceret Paulus, nullus saluatur, quem deus non velit saluare: sicut de aliquo præceptore dicere solemus. docet omnes pueros huius ciuitatis: tamen non omnes doceantur. Volumus enim dicere nullus in hac ciuitate docetur, qui ab illo præceptore non doceatur. Sic etiam intelligit illud Ioan. 1. illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hanc expositionem amplectitur Fulgent. lib. de incarnat. & gratia cap. 31. & sequitur Beda, & Anselm. in illum locum Pauli: sed tandem ipsemet Augustinus eam non admodum probat.

4.
Ioan. 1.
Fulgent.
Beda.
Anselm.
Augustinus.

Secundo interpretatur illum locum, ut sit distributio, quam logici appellant pro generibus singulorum, & sensus sit ex omni hominum genere Deus vult homines saluos fieri, ex viris, feminis, parulis, regibus, pauperibus, &c. cui fauet litera textus: nam cum dixisset orandum esse pro Regibus, & in sublimitate positus, illico subiungit causam dicens. Qui (scilicet Deus) omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Veramque expositionem habet Augustinus in Enchiridio cap. 103. & sequuntur Beda, & Anselm. in illum locum Pauli.

Roman. 8.

Genes. 22.

Quid addat
opinionem po-
sit.
Gregorius.

Tertiam aliam ipse adhibet c. 15. de correptione & gratia circa medium hoc modo. Deus vult, id est facit, ut velint omnes salui fieri, iuxta illud ad Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis hoc est, Spiritus postulare nos facit: & Genes. 22. Nunc cognoui quod timeas Deum, id est, nunc feci, ut cognoscas, quia timeas Deum. Augustinus expositiones probat Gregorius in 1. d. 46. q. 1. imo addit, ideo in Deo non esse voluntatem circa salutem omnium hominum, quia nonnullis etiam denegat sufficientia auxilia ad hunc finem. Quod si ita est, non potest Deus circa illum finem ullam voluntatem habere, non solum beneplaciti, sed neque signi: id quod non multum abhorret a mente Augustini, qui plane concedit, aliquibus auxilia sufficientia non dari, ut infra disput. 97 videbimus: sed quia fundamentum falsissimum est, ut ibi ostendimus; nunc saltem probemus, solum esse voluntatem signi, non beneplaciti circa eorum salutem, tribuendo omnibus media sufficientia.

Primum ar-
gumentum
huius sen-
tentia.

Id vero ratione probatur, primum, quia cum aliquis potest alium saluare, & non saluat, plane conuincitur nolle eum saluare: sed Deus potest omnes saluare, & facere, ut recte viuant, ita ut a nullo impediatur: ergo cum non faciat, sequitur, non velle omnes saluare, neque facere, ut recte viuant: præbendo tamen remedia necessaria ad salutem indicare videtur, se velle omnium salutem, & tranquillam vitam. Deinde aut illa voluntas beneplaciti circa omnium salutem, quam aliqui Deo tribuunt, est efficax, aut est inefficax, quam vocant velleitatem: non est efficax, cum in multis effectum non habeat, neque inefficax: hæc enim cum imperfecta sit, non potest in Deum conuenire, ergo nulla est in Deo voluntas beneplaciti circa omnium salutem. Ex quo inferunt prædicti Doctores, omnem voluntatem beneplaciti in Deo efficacem esse, ac proinde semper impleri, & eam solum aliquando carere effectu, quæ tantum est signi.

Secundum
argumentum

6.

CAPVT I.

CAPVT II.

Deum habere voluntatem beneplaciti circa salutem, & rectam omnium hominum vitam, verior opinio fert.

Ego vero non solum veritorem puto oppositam sententiam, videlicet Deum voluntate beneplaciti velle omnium salutem, & rectam vitam; verum etiam sacris literis, & doctrinæ Patrum multo magis conformem, ut profus non videamus, qua ratione aliquis eam inficiari audeat. Quare cum non omnes homines saluentur, nec omnes recte viuant, necessario fatendum est, non omnem voluntatem beneplaciti semper impleri. Hanc sententiam tradunt in primis ex Scholasticis Durandus in 1. dist. 47. q. 1. Carthusius in 2. q. 1. Bartholomæus Camerarius in Dialogo Catholico ca. 6. §. 1. & indicat S. Thom. in hoc art. ad 1. docent enim non tantum in Deo esse signum huius voluntatis; sed etiam voluntatem beneplaciti circa omnium salutem, & rectam vitam: id quod præsentem cap. solum nobis probandum est. Nam qualis illa sit, verum antecedens, an consequens, absoluta, an sub conditione, & quomodo sine imperfectione Dei possit carere effectu, cap. 3. & 4. explicabitur.

Circa omnium igitur salutem, & rectam vitam esse in deo voluntatem beneplaciti, probatur primum ex Paulo 1. ad Timoth. 2. ubi cum dixisset orandum esse pro Regibus, &c. ut quietam, & tranquillam vitam agant in omni pietate, & castitate, continuo adiecit: Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ergo eodem modo dicit Paulus deum velle omnes saluos fieri, & veritatem agnoscere, atque recte operari, seu tranquillam vitam agere; hæc enim connexa sunt: homines autem recte viuere bonum est, ac proinde (vult Paulus) acceptum coram Salvatore, ergo est illi gratum, & ique placet, quare voluntas, qua vult omnes saluos fieri, & recte viuere, atque veritatis cognitionem consequi, erit etiam beneplaciti: quid enim aliud est, deum velle aliquid voluntate beneplaciti, quam illud sibi placere, acceptum & gratum esse. Quocirca cum 1. ad Thess. 4. dixit Paulus. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra: non tantum expresse voluntatem signi; sed etiam beneplaciti, addere enim potuit, Hæc enim grata, & accepta Deo est.

Ex Patribus vero est pro hac sententia Prosperus in lib. 2. de vocatione gentium c. 19. alius 7. & 21. alius 8. autem tamen ad capita Gallorum responsione 8. oppositum cum Augustino defendat.

Deinde Damascenus lib. 1. de fide c. 29. circa finem explicans illud 1. ad Tim. 2. sic ait: Quia illud quoque non fingat Deum ut bonitatem præstantem, primarie quidem omnes homines seruare, ac regni sui compotes esse velle, neque enim supplicij ac cruciatu causa, verum ad hoc, ut bonitatis ipsius participemus, nos esse finem, ut iustum autem quoque, qui peccant, penam inferri nihilominus velle: ac prius illud, ac cedens voluntas seu beneplacitum dicitur, ex ipso manare: secundum autem, insequens voluntas, ac permissio a nostro iusto ortum dicens, atque huius permissio duplex est genus, alterum dispensatorium, & eruditionis habens, quod ad nostram salutem spectat, alterum a desperatione proficiens, quod ad extremam, certissimamque iram ducimus, penam tendit. Atque hæc de his rebus, quæ in nostra potestate minime sunt, statuere debemus, at vero ex his, quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem, quæ